



IN
THEOLOGIAM
THETICO-POLEMI-
CAM,

Ex variis Theologorum Scriptis colle-
ctam & in compendio exhibitam

THESES PRÆLIMINARES

PRÆSIDE

Summe Reverendo, Amplissimo atq; Excellentissimo

D O M I N O

JOH. CHRISTOPHORO PFAFFIO,

S. Theol. Doctore & Professore Publ. Ord. Ducalis Stipendii
Theologici Superattendente, Ecclesiæque Collegiatæ
Tubingensis Decano undiquaq; Meritissimo,

Patrono ac Præceptore suo per ætatem Colendo,

Examini publico Academico subjectas

ab

Auctore

JACOBO FRIDERICO JUNGIO,

Philos. Magistro & S. Theol. Studioso in Stipendio Ducali.

Ad diem 1. Junii anni MDCCXVII.

TUBINGÆ, Literis JOSEPHI SIGMUNDI.

Auctor Lectori Benevolo salutem.

DUODECIMUS jam agitur annus, ex quo emissus ex trivialibus Scholis a Serenissimo Würtembergiæ Duce, Nutritio meo clementissimo, in numerum Ducalium Alumnorum receptus sum; Studiis itaque Philologicis & Philosophicis rite absolutis cum Theologiæ operam dare cœpissim in immensum Doctrinæ atque cognitionis campum mihi excurrendum esse statim prospexi. Initio quidem studii mei Theologici illud jam tempus adesse mihi sum gratulatus, quod nihil jam supersit, quam ut brevem illam Theologiæ meæ catechetiæ, summam, quam olim puer ex B. D. *Andrea Adami Hochstetteri*, Desideratissimi Theologi & aliorum Ecclesiæ Ministrorum ore hausi, ac unice in amore sincero positam didici, nunc cotidie magis magisque tum in me perficiam, tum in aliis deinceps perfici curem; Multa tamen, quæ etiam contra mentem Dei ex hum. ingenio in Theologiam traducta sunt, & quasi per accidens, ut loquuntur, subreperunt, ita sunt comparata, ut animum hominis turbent magis, quam in Deo ponant tranquillum. Ego certe in intricatissimis Quæstionibus ac Theologorum Dissensionibus ita sæpè fui implicatus, ut in Labyrintho mihi errare viderer, & ubi pedem figerem, unde me explicarem, fere nescirem: Indignatus etiam sum tot tricas & Scholasticas distinctiunculas, quas antea vel in Philosophia damnavi, nunc denuo in Theologia tractandas esse; Illos tamen ipsas Theologo ad Elenchum ex parte & pro præsentis Ecclesiæ statu contra adversarios maxime necessarias & fere inevitabiles esse probe intellexi. Quamobrem cum tot tenendi distinctiones difficultatem perspexeram, illas in unum ex multis Auctori-

bus fasciculum colligere aggressus sum, ut eo felicius memoriae succurri & in promptu haberi possit, quicquid habitu ad bella Domini utile & necessarium esse creditur. Postquam igitur ruri, ubi vicarias operas per aliquod tempus praestiti in Ecclesia Patria, redii in Claustrum, ne Monachos uti in habitandi loco & vestium habitu, ita quoque in vitae genere h. e. in inertissimo & desidiosissimo otio imitari & tempus, quod nimis sat bene longum Juvenibus, in primis Theologiae Studiosis, apud Nos in Academiis transigendum est, dilapidasse videar, harum Thesium collectanearum Specimen publicare & loco Disputationis Academicæ defendere decrevi. Tu itaque B. L. quo æquissimo affectus es animo, ita etiam hunc meum conatum ut æqui bonique consulas, est, quod abs Te contendere volo atque omnino obtinere confido.

§. I.

a. Rom. II. 14. 15. Non tantum conversi, sed omnes homines, etiam pagani, *ἀνόμοι* alias, legem (Scriptam) non habentes tamen *φύσει* (sine accedente humano facto) faciunt (non ipsam legem sed) aliqua Legis (ex primævo lumine residua, externa Legis opera) sunt sibi ipsi Lex, habent opus Legis (cognitionem recti & obliqui, honesti & turpis) Scriptam in cordibus suis: Est in illis conscientia (cum & de DEO) testificans (de factis, dictis, cogitatis, honestis & turpibus) *λογισμοῖς* (sine lege prævia cor humanum) accusantes (de male factis) & excusantes (de bene factis) E. datur *θεογνωσία* naturalis & congenita *β* Rom. I. 19. 20. *Γνωσὸν* (aliquid de Deo) *ἐν αὐτοῖς* (intra omnes *ψ. 14.*) manifestum est, & facit omnes inexcusabiles. E. congenitum, nam quod in illis, illud non extrinsecus accedit, quod omnes reddit inexcusabiles, ad id omnes apti esse debent: Jam vero non omnes apti sunt, ut processum a singularibus ad universalia instituant, & ex variis rebus unum quoddam perfectum componant. *γ.* Experientia testatur, quod omnes populi, quot novimus (E. & alii nobis ignoti, uti Ganges, quem non vidimus, similes cum Nicro & Danubio aquas ducere recte creditur.) Sensum habeant de DEO immutabiliter, semperque recur-

rat

rat terror Numinis E. hæc notitia est connata, nam acquisita non est universalis, unde

Thesis. Habentius in ipsis mentibus nostris insculptam & congenitam ideam sive notionem claram & distinctam de DEO.

Nota *a.* Metus alius simpliciter naturalis, uti & bestia metuunt tonitrua, alius rationalis, ex conscientia, iudicem timente, proveniens, qui soli homini competit *β.* Deus quidem ab initio mundi se revelavit, sed non omnibus, & hæc ipsa revelatio non excludit, sed præsupponit, ac perficit notitias naturales. *γ.* Notio hæc DEUS EST non quidem citra omnem discursum & terminorum explicationem intelligitur, nam alias actualis, non habitualis esset, tamen insita est, & magna præclivitas ad assentiendum huic propositioni DEUS EST. *δ.* Imperfectionis humanæ est, quod uti omnia, ita & DEUM sub idea Entis summe perfecti concipiamus. *ε.* Idea hæc Deum repræsentat pro sphaera Naturæ, ut est ratione existentia, non latitudinis E. notitia hæc inadæquata quidem est, non tamen falsa ex. gr. qui novit triangulum esse figuram tribus lineis contentam, is ideam trianguli veram habet, licet nondum omnes proprietates comprehendat. *ς.* Aliud est infinitudinem Dei comprehendere, aliud mente concipere, rem aliquam esse infinitam. *ζ.* dist. inter conceptum ipsum & vitia conceptui adhærentia, inter notitiam in se & formaliter spectatam, & ejus adplicationem ad objectum seu spectatam subjective ex. gr. quando pagani plures falsosque Deos finxerunt. *η.* dist. inter ignorantiam simplicem & affectatam seu malitiosam abnegationem, inter notitiam perfectam seu salutarem & imperfectam Eph. II. 12. *θ.* dist. inter cognitionem actualem in adultis & habitualement in infantibus, inter notitiam directam & reflexam. *ι.* Notitiæ hæc insunt per modum habitus non in rigore philosophico sumti, qui impressas rerum species prærequirit, sed analogice talis, qui pro perfectione quadam superaddita potentia intellectuali sumitur. *κ.* dist. inter inscriptionem naturalem sine luce extrinsecus adventitia, & gratiosam, de qua Jer. XXXI. 33. *λ.* Nihil est in intellectu, nisi prius fuerit in sensu est falsum axioma, nam Angelos, Animam, Universalia cognoscimus, quæ non sub sensum cadunt.

§. II.

a. Rom. I. 20. Si ἀόρατα τῶ Θεῶ (ea quæ non in oculos incur-
runt, sed per discursum de rebus creatis eliciuntur, non mysteria, sed
invisibilis) potentia & Divinitas, ex creatione Dei (tanquam medio
cognoscendi, uti ἀπὸ sumitur Matth. VII. 16.) & operibus seu conser-
vatione (ποιήματα non sunt Christi miracula, nam nullibi ita vocan-
tur, nec illa fuerunt ab origine mundi, aut ex creatione innotescunt)
cognoscuntur tanquam causa ex effectu. E. datur notitia Dei Natura-
lis, humana industria acquisita. β. Deus cognoscitur tripliciter, via
causalitatis, quando ex effectis causa prima, ex mundi conservatione ac
rerum ordine bonitas ac sapientia Dei colligitur Act. XIV. 17. conf.
Sir. XLIII. Dein via Eminentia, quando quicquid in creaturis perfe-
ctionis deprehenditur, in Deo summo atque excellentissimo gradu esse
colligitur Ps. XCIV. 9. Denique via Negationis, qua a DEO remo-
vemus, quicquid imperfectionem arguit Act. XVII. 24. 25. unde

Thesis. Datur etiam Notitia DEI Naturalis
acquisita.

Nota *a.* Hebr. XI. 3. 6. DEUS ex natura tantum quoad ὄντι & im-
perfecte, ex Scriptura etiam quoad διότι perfecte & salutariter cogno-
scitur. β. 1. Cor. I. 21. Mundus DEum non cognoscit notitia speciali &
salutari, tamen generali & pædagogica. γ. Mundus neque ab æterno
esse, neque ex fortuita atomorum concursione prædiisse potuit, nam ar-
tes nuper inventæ testantur mundi brevitatem, & quælibet res agnoscit
suam causam, nisi ex innumerabilibus literarum formis, in terram ex-
cussis, Annales effici sine typhothæ opera posse credas. δ. Neque Natura,
neque Anima mundi aut Spiritus Hylarchicus, à Moro effectus, princi-
pium horum effectuum esse potest, nam Natura universalis cum per se
nullo consilio & providentia utatur, necessario Rectore alio indiget,
& Spiritus ille vel erit incompletus & tanquam forma materiæ alligatus,
& sic altius principium agnoscere oportet, vel completus, qui cum omnia
regat & ad unum totum essentiali cum mundo constituendum non
concurrat, erit ipse DEUS. ε. Quoniam in serie causarum est subor-
dinatio, necessario deveniendum est ad primum, tanquam fundamentum
reliquorum, unde ipse Aristoteles, qui mundum æternum statuit, tan-
dem in primo aliquo motore substitit. Et licet in æternitate a parte post
detur duratio, quæ initium habuerit, & non habitura sit finem, non
tamen

tamen

tamen etiam in æternitate a parte ante datur progressus in infinitum seu duratio, quæ finem habeat, & nunquam tamen initium, quia initium rei quidem potest esse sine fine, sed finis nunquam potest esse sine initio. Dein in illa infinita serie aut aliquid est, quod non sit factum, & sic habeo DEum aut omnia ab alio facta sunt, saltim mediate & per circulum Ergo idem à se ipso est, nam causa causæ est etiam causa causati & si Avus generat filium, filius Nepotem, Nepos vero Avum, Avus se ipsum producit, quod oppido falsum & absurdum.

§. III.

α. Quoniam Dei notitia & veritas de Dei existentia ad statum Naturalem pertinet, & est connata. *β.* Conscientia, de DEO testificans, non eliminari potest Rom. II. 15. ne quidem in & à diabolo Jac. II. 19. unde.

Thesis. Athei Speculativi perpetuo & Ordinarie non dantur.

Nota *α.* Athei sunt vel practici, cujusmodi prodolor plurimi dantur, qui vivunt, quasi non esset DEus, vel Theoretici, & hi vel perpetui, quales non dantur, vel temporarii, quales dantur quidem, sed non per naturam, verum per occæcationem diaboli. *β.* Hominem esse sine sensu DEI, per suppositionem characteris semel impressi, est impossibile, licet per absolutam Dei potentiam & humanæ essentiæ abolitionem hoc fieri possit. *γ.* Nonnulli quidem Athei DEum constanter egerunt, sed tantum externe, interne vero saltim conati sunt, sed non potuerunt sensum DEI intra se suffocare. *δ.* Integras Gentes Atheismo affectas esse falsum est. *ε.* Caeteriata etiam conscientia non infert deletionem primorum seminum. *ς.* Ps. XIV. 1. de Atheo practico sermo est, qui DEum non simpliciter ignorat, & constanter negat, sed tantum notitias in corde suo extirpare conatur, & ex malitioso cordis affectu DEum negat. *ζ.* Athei Eph. II. 12. dicuntur non absolute & simpliciter ob defectum generalis notitiæ, sed comparate & secundum quid ob defectum salutaris cognitionis.

§. IV.

α. Ad salutem requiruntur *γνώσις* articulorum fidei Joan. XVII. 3. *πίστις* seu fiducia in Christum Joan. III. 16. & *πρᾶξις* pietatis Hebr. XII. 14. quæ omnia in Theologia Naturali deficiunt. *β.* Salus unice in Christo

Christo

Christo Salvatore obtinetur Act. IV. 12. jam vero Natura & iram DEI ob peccata accensam Rom. VII. 7. & placationem factam Eph. II. 12. & medium placationis Mich. VI. 6. ignorat, unde

Thesis. Theologia & Religio Naturalis non sufficit ad Salutem.

Nota *α.* Theologia hæc naturalis dicitur tum ratione principii, quod est natura humana, tum ratione objecti, quia complectitur principia non nisi natura nota, tum ratione termini, nam licet quoque glorificationem Dei pro fine ultimo habeat 1. Tim. II. 2. 3. tamen immediate non nisi temporalem quandam felicitatem pro fine (intermedio) habet. *β.* Quæ de necessitate Fidei in Christum in Scriptura S. leguntur, non limitate & de iis tantum, qui in Ecclesia vivunt sed absolute intelliguntur: Nec duplex ordinaria & extraordinaria, sed una est tantum via ad salutem. *γ.* Peccata (inprimis Originale) in sphaera Naturæ nec satis perspicue interdiciuntur, nec emaculantur, nec expiando scelera quid meremus, unde Christi obedientia non solum passiva, sed & activa esse debuit. *δ.* Virtus cum pietate conjuncta instatu destituta non sufficit ad salutem, inprimis quod imperfectæ sint virtutes, sed requiritur fides, non qualiscunque, sed in Christum innixa, quæ fidei in DEUM male opponitur. *ε.* Aliud est nosse DEUM misericordem universaliter, aliud specialiter, aliud nosse DEUM placabilem, aliud actu placatum *ς.* Rachab fuit fidelis Ebr. XI. 31. & Ninivitæ fidem conceperunt ex Jonæ præconio, utpote quorum pænitentia DEO placuit Rom. X. 33. *ζ.* Act. X. Cornelius non paganus, sed profelytus fuit, & sacris Judæorum initiatus, nam *εὐσεβεία* rectus DEI cultus & verus DEI timor vers. 2. de naturali homine non dici possunt: DEUS non est *προσωπολήπιος* i. e. Deo ex omni populo placent illi, qui ipsum timent & recte faciunt, quæ revelationem & fidem supponunt *η.* Act. XVII. 26. 37. Ex operibus DEUS cognoscitur non salutariter & sufficienter, sed naturaliter & pædagogice. *θ.* Rom. I. 19. *τὸ γνωσὸν τοῦ Θεοῦ* non omne scitu necessarium ad salutem comprehendit, unde *ψ.* 20. ad existentiam Dei & Divinitatem restringitur, dein aliud *γνωσὸν* aliud *πιστὸν* est. *ι.* Rom. I. 20. Actiones malæ sunt ex quolibet defectu Jac. II. 10. & Gentiles vel ob solum Luminis Naturalis neglectum damnari possunt, & reddi inexcusabiles, sed dispares ratio actionum bonarum, quæ

quæ ex integra causa æstimantur, ut adeo Gentiles ex solius Luminis Nat. observatione qualitercunque quidem, uti & Tyrii Matth. XI. 21. Ob majoris gratiæ defectum excusati fuissent, sed non absolute, nisi quatenus hoc pædagogico se duci ad revelationem passi fuissent & sic per fidem in Christum salvati. *α.* Jac. I. 21. λόγος dicitur ἔμφυτος non per γένεσιν naturam, sed per παλιγγενεσίαν & prædicationem. *β.* Ebr. XI. 6. agit Paulus de fide E. supponit cognitionem non naturalem simplicem & confusam, sed super naturalem, fiducialem & distinctam, quatenus Deus cognoscitur ut Trinus & ut Remunerator, non solum legaliter, sed & Evangelice.

§. V.

α. Cum ratio, unde orti, & quo redituri simus, principium & finem nostrum non doceat, nec nobis viam & media summum bonum, tanquam finem nostrum, consequendi, ostendat, bonitas Dei requirit, ut alio modo nos ad veram nostri cognitionem & perfectam Sui fruitionem ducat, quod fit per revelationem. *β.* Aliud datur principium, scil. verbum scriptum, alius finis vita æterna, ad quam sine revelatione non pervenimus, aliud objectum, videl. res Div. per naturam non cognoscibiles, aliud deniquè subjectum nempe Theologus, diversus a Philosopho, unde

Thesis. Præter Naturalem datur quoque Theologia Revelata, ex verbo Dei scripto haurienda.

Nota *α.* Theologia est vel ἀρχέτυπον seu idea in Deo, quam expressit in verbo revelato, vel ἔκτυπον seu sensus Dei in Scriptura expressus *β.* Theologia alia est unionis in Christo & cum Archetypa coincidit Joh. I. 16. III. 34. Col. II. 3. alia visionis in Angelis & Beatis Matth. XVIII. 10. I. Cor. XIII. 12. alia Revelationis I. Cor. II. 10. II. 12. *γ.* Theologia in abstracto & syllabice non quidem habetur in Scripturis, habetur tamen in concreto in Apocalypseos inscriptione & quoad rem I. Petr. IV. 11. *δ.* Theologia quidem sapientia est, quæ superne venit Jac. III. 15. & Fidelibus sub initium N. T. immediate infusa est, non tamen etiam nostro tempore datur immediate citra Scripturæ S. scrutationem.

B

§. VI.

§. VI.

α. Auctores, qui nostras Revelationes nobis tradiderunt, aperta habent probitatis, candoris & integritatis argumenta, nam viri simplices & inculpatae vitae fuerunt, res praeteritas & praesentes, adeoque multis perspectas, tradiderunt, ut facile refelli potuissent, si mentiti fuissent, alieni fuerunt a proprio studio & gloria, nam Moses posteritatem suam non in regnum aut sacerdotium, sed in plebem Levitarum retulit, nec fratris Aaronis Num. XX. 24. nec suamet peccata Num. XXVII. 14. conticuit, populi, cui praefuit, pervicaciam perstrinxit: Ita & Apostoli suamet ipsorum peccata referunt I. Tim. I. 15. manifestis potentiae Div. signis & miraculis II. Cor. XII. 12. armati fuerunt, & licet diversis temporibus & locis vixerint, tamen mire consentiunt, E. eorum revelationes vere Divinas esse oportet. β. Religio Christiana est antiquissima, nam Mose ipsis Graecorum diis antiquior est, originem humanam pra aliis indigitat, brevi tempore ab hominibus, omni auxilio externo, vi armorum aut eloquentia ac sapientia human. destitutis I. Cor. II. 3. 4. per totum orbem fuit disseminata, stupendis prodigiis ac eventibus praedictorum clarissimis Es. XLIV. 28. XLV. 1. coll. II. Chron. XXXVI. 22. 23. Esr. I. 1. confirmata, acerbissima hominum sapientum morte ob signata Hebr. XII. 1. originem mali, mediumque ad placandum DEUM, & sanctissima vitae praeccepta exhibet, ipsasque Leges naturales injungit, ac denique felicem ex hac vita exitum promittit, E. est vera Religio. γ. Si tot miracula patravit Jesus Nazarenus, tot prophetias edidit, quae deinde eventu sunt comprobatae, si in caelum receptus, vim illam portentificam, sanctumque spiritum, uti erat pollicitus, in discipulos immisit, ita ut omnium Gentium linguis loquerentur, agros fanarent, mortuos ad vitam revocarent, E. Jesus ille fuit Divinus homo, DEO plenus, ac ipse Messias, unde

Thesis. Religio Christiana una ex omnibus est vera Religio.

Nota. α. Genuinos esse libros Mosis ex eo liquet, quod eos continua serie aetatis Mosis adscripserunt, nisi forte etiam Platonis, Ciceronis aliorumque scripta pro supposititiis habere velis. β. Tot hominibus tantaeque sapientiae viris illudere non potuit prodigiorum multitudo, nam nemo sanae mentis in animum inducet, hominibus persuaderi

• deri

deri potuisse, tot facta esse miracula ipsis cernentibus, quæ tamen nulla fuerint. γ . Aliæ Religiones per sanguinem humanum, per ludos & saltationes spurcitia plenas diis litarunt, aniles fabellas pro Div. revelationibus, turpes Leges pro sanctis, summas injurias pro laude, vitia pro virtute habent, nullis miraculis confirmantur, ad fundendum sanguinem factæ, in vanis & externis ritibus maximam partem occupantur, neglecto interiore pietatis affectu, piis miserum & indignum veræ felicitatis nomine præmium post hanc vitam promittunt.

§. VII.

α . Rom. X. 14. Quomodo audient sine prædicante E. ordinarium fidei medium est ministerium Ecclesiasticum, ad quod requiruntur homines non qualicumque, sed adcurata notitia imbuti. β . Hebr. V. 12. 13. 14. Ipse Apostolus distinguit inter lac & firmiorem cibum, inter exercitatos & minus exercitatos Christianos, inter *σειχῆια* rudimenta Christianismi, & perfectionem cognitionis, & ad hanc adhortatur suos, unde

Thesis. Necessaria est in Ecclesia non solum catechetica & rudior, sed & acroamatica & accuratior Theologia.

Nota α . Est necessaria talis Theologia non *κατὰ τὸ μέρ* seu singulis Ecclesiæ membris, sed *κατὰ τὸ σῶμα* & quidem non absolute, sed hypothetice. β . dist. inter aliqualem & simplicem Dogmatum Christianorum notitiam, & adcuratam atque excellentem, inter habitum Fidei, qui omnibus Fidelibus competit, & habitum conclusionum ex Scriptura S. deductarum, qui proprie vocatur Theologia. γ . Jerm. XXXI. 34. I. Joan. II. 27. Ebr. X. 11. Non de immediata Dei revelatione, sed de clariore & ampliore prædicatione Evangelii in N. Test. non de doctrina absoluta, sed modificata sermo est, quod in N. T. alter alterum non sit docturus, sicut in V. Test. typice, secundum literam occidentem, II. Cor. III. 6. sine perfectione Ebr. VIII. 6. 8. IX. 9.

§. VIII.

α . II. Tim I. 13. Paulus suo Timotheo commendat *ὑποτύπωσιν* sanorum verborum de fide & caritate, h. e. omnium ad salutem pertinentium descriptionem tanquam uno intuitu in tabula conspiciendam, quæ

quæ nil aliud, quam nostra Theologia Thetica. β . Sine Ordinato rerum docendarum nexu complexuque distincto docere est impossibile. γ . Magnus Compendiariorum numerus est & auctoritas Sec. I. Irenæi Symbolum, Sec. II. Tertulliani Apologeticus, Sec. III. Origenes contra Celsum, Sec. V. Augustinus de doctrina Christiana, Sec. VIII. Damascenus de orthodoxa Fide, unde

Thesis. Theologia Thetica tractanda & Compendia in Ecclesia retinenda sunt.

Nota α . Scriptura S. quidem sufficiens est ad salutem, eidem tamen conformia ideo non sunt rejicienda. β . Per compendia non avocamur à lectione S. Scripturæ, sed potius allicimur, utpote ad quam compendia provocant. γ . Termini Philosophici non plane sunt rejiciendi, quia ejusmodi occurrunt quoque in S. Scriptura ψ . gr. Rom. IV. 17. entia Hebr. V. 14. habitus.

§. IX.

α . Pf. L. 5. & Exod. XXIV. 8. In observatione Fœderis Evangelici consistit vera ratio colendi Deum E. circa illud optime versatur Methodus Theologica. β . Hæc Methodus facit ad augmentum scientiæ Theologicæ, nam fundamentum salutis nostræ, quod est Fœdus Gratiæ in Christo, in aprico constituit, usum habet in interpretanda Scriptura S. quæ semper & ubique, præsertim in Prophetis, hoc Fœdus delineat, unde

Thesis. Methodus tractandi Theologiam per Fœdera non est rejicienda.

Nota α . Non omne novum est suspectum, alias & Christi Doctrina repudiari debuisset, & hæc methodus est scripturaria & apud antiquos Theologos Chemnitium, Höpffnerum, Hülsemannum, Dorschæum & alios obvia. β . Concursum operum ad salutem ex hac methodo non sequitur, nam restipulatio fit non inter Deum & homines, sed inter Deum & Filium ejus, Sponsorem Generis humani, ex parte hominum autem requiritur tantum Fides tanquam conditio non impletiva & meritoria, sed adplicativa. γ . Methodus hæc hominem non inflat, sed deprimat conscientia neglecti Fœderis. δ . Nihil periculi in Religione

gione

gione ex hac methodo metuendum, si modo fundamentum Fœderis, scil. Sponsio Servatoris nostri probe constituatur.

§. X.

α. Theologiæ principium est practicum Rom. XV. 4. II. Tim. III. 15. 16. *β.* Practicum est tum objectum, quia omnia in S. Scriptura vel per se sunt practica, vel ad praxin ultimo diriguntur, tum subjectum, homo ad DEUM & vitam æternam perducendus. *γ.* Practica sunt media ex parte Dei verbum & Sacramenta, ex parte hominis Fides Jac. II. 18. *δ.* Practicus est Finis tum intermedius, isque tam internus operatio Theologi circa hominem convertendum, quam externus scil. Fides, tum ultimus salus & vita æterna, quæ non subsistit in cognitione & visione, sed etiam in praxi & amore Joan. XX. 31. unde

Thesis. Theologia Christiana est habitus Practicus.

Nota *α.* Theologia consideratur vel Systematice, vel concretive & habitualiter. *β.* dist. inter habitus Philosophicas & inter habitum Theologiæ singularem & supernaturalem. *γ.* dist. inter habitus Theoreticos, qui in nuda veritatis contemplatione subsistunt, & practicos, qui quidem rei agenda cognitionem prærequirunt, sed in illa ultimo non subsistunt, nec illam pro ultimo fine habent. *δ.* dist. inter habitus practicos, qui prærequirunt notitiam tantum aliqualem, uti Philosophia Practica, & qui adcuratam γνῶσιν requirunt. *ε.* dist. inter γνῶσιν, quæ cum praxi consistere potest, & θεωρίαν quæ peculiaris habitus, habitui practico contradictorie oppositus. *ς.* Inter πράξιν τῆς πίστεως, quæ est fiducialis meriti Christi adprehensio & πράξιν τῆς εὐσεβείας seu studium bonorum operum, non ob hanc, sed ob illam Theologia vocatur practica. *ζ.* aliud est praxin & cognitionem æque principaliter respicere, aliud in illa cognitione tanquam ultimo fine acquiescere. *η.* DEUS in se quidem non est πρακτόντι, tamen sanctificatio nominis ejus est πρακτόντι, sic cognitio Patris est practica, ostendens filialem obligationem, Filii, ut ipsum osculemur Psalm, II. 12. Spiritus Sancti, ut illi pareamus, si corrigat, si ob peccata perstringat, doceat, impellat, consoletur, ac denique notitia de DEO Trino spectat

ad rectitudinem dilectionis in tres Personas. §. Objectum Theologiae vel directe & per se est practicum, vel indirecte seu ad praxin respiciens, si circa illud vera praxis exempli gratia volitio, dilectio, elici possit. 1. Ad habitum practicum non requiritur, ut omnes ejus actus formaliter sint practici, modo ad praxin tendant. α. Angelorum & diabolorum historia non meræ contemplationis gratia patefacta sunt, sed ut horum consortium fugiamus, illorum custodia nos dignos exhibeamus. β. Quando Theologia dicitur sapientia, scientia, prudentia, sunt tituli honorarii, Synonyma Grammatica, non Logica, nec ita dicitur simpliciter, sed laxiori & eminentiore sensu & cum restrictione ex. gr. sapientia incognita, spiritualis, non autem omne prædicatum est statim Genericum. γ. Joan. XVII. 3. Vita æterna consistit in cognitione DEI, non tanquam in fine, sed tanquam in medio ad finem, nec Vita æterna tantum in beatifica Dei visione, sed & in Dei fruitione, in amore summo & purissimo I. Cor. XIII. 8. 13. consistit.

§. XI.

Notitia Theologica in Irregenito subjective spectata, est

I. Ut plurimum falsa. Nam talis non cognoscit καθὼς δὲ I. Cor. VIII. 2. vel plane non, vel non sufficienter, vel non debito fructu, vel καπηλεύει II. Cor. II. 17. corrumpit & permiscet verbum glossis hum. ut ipse Bileam erravit Judæ ψ. 11. vel saltim intra se falsum fovet conceptum de verbi operatione, cum talis efficaciam verbi internam non sentiat vel etiam errat in explicatione & adplicatione ex. gr. in tentatis. Ita Caiphas Joan. XI. 50. 51. perversum intra se sensum fovit de vaticinio, quod ipse protulit.

Nota α. Medici quidem non est omnia morborum genera in se sensisse, aliter tamen se habet cum Theologo, qui saltim interiorem tentationum cognitionem habere studeat. β. Quam primum verbo adimo genuinam virtutem & alienam ex. gr. mere moralem substituo, vel admisceo aliquid humani, non habeo verum, sed falsum de verbo conceptum.

II. Est incerta. Nam talis Irregenitus veritates Div. per Spiritum S. in corde suo obsignatas non habet & est sine πληροφορία

in tentationibus non habet fundamentum Luc. VI. 49. sed est instar fluctuum marinorum instabilis Judæ ψ . 12. 13. ac denique etiam deficit ab externa confessione.

Nota: dist. inter certitudinem externam, quam quis profiteri potest lucri vel honoris causa, & internam, quæ in assensu cordis consistit, inter certitudinem Philosophicam, quæ etiam provenit ex principiis naturalibus, & Theologicam, quæ requirit obsignationem Spiritus S. inter partialem respectu nonnullarum rerum Theologicarum, & Totalem quoad totam Theologiæ seu catechetiæ seu Acroamaticæ χ εσιν. Externam, Philosophicam & Partialem certitudinem concedimus irrogenitis.

III. Est Naturalis & Literalis. Nam notitia spiritalis est viva, nunquam otiosa, imo salutaris & pars fidei, per quem Deus justificat Es. LIII. 11. Ita Socinianus quis, ita damnati etiam habent notitiam de DEO, de Christo, quæ tamen non supernaturalis, sed experimentalis potius est. Ita quoque peccatores in Spiritum S. habent notitiam, imo γ εῦσιν, apud quos tamen operatio Spiritus S. non habet locum, cum jam sint traditi in damnationem, unde talis Irregeneriti fides est diabolica Jac. II. 19.

Nota α . Distinctio inter literalem & Spiritualem notitiam non est nova, multo minus hæretica, nam B. Gerhard dixit: Alium esse Theologum, qui literam, alium qui praxin habeat. Paria habet Meisnerus in Anthrop. Disp. X. §. 24. & Jo. Musæus in Instit. Theol. dicit: In relapso remanere notitiam externam, literam, non Spiritum. β . Litera & Spiritus separantur non in Scriptura, sed in corde impiorum, qui resistunt Spiritui S. uti Judæi Act. VII. 51. γ . Irregeneriti hauriunt quidem suam notitiam ex principio supernaturali, sed non operante supernaturaliter, nam verbum ut verbum Dei non operatur in illis, quia obicem ponunt Joan. VIII. 37. δ . I. Cor. II. 14. Homo naturalis non capit, quæ sunt Spiritus h. e. Spirituali modo, verbum in sensu reduplicativo, in quantum est verbum Dei, & Div. notitiam generat, capit tamen ut aliud verbum & modo naturali. ϵ . Notitia, quæ impiis ad scribitur est vel extraordinarium donum, vel nuda recitatio verborum, non satis perceptorum, vel verbi suffuratio, vel naturalis apprehensio sensus ex naturali verborum perspicuitate,

Sed

Sed objective & effective spectata Notitia
Theologica in irrogenito, quatenus Dei verbo
convenit, est

I. Vera & certa, ut Bileami vaticinia Num. XXIV. 12. 13.
ut Judæorum notitia voluntatis Divinæ Rom. II. 18.

II. Supernaturalis & Spiritualis, nam quæ doctrina
verbo Dei convenit, illa vere Divina est, & supernaturali virtute pollet,
licet falsa sit ejus in irrogeniti mente apprehensio, unde effectus quoque
Spirituales sunt, ut regeneret auditorem & convertat.

§. XII.

α. Ps. CX. 3. Indoles Religionis Christianæ est, ut sit spontanea. β.
Christus, Prophetæ & Apostoli neminem vi externa ad Religionem coë-
gerunt Matth. XXVI. 52. II. Cor. X. 3. 4. II. Tim. IV. 2. unde

Th. Religio Christiana ita comparata est, ut ad
illam homines vi externa adigi nec possint, nec
debeant.

Nota α. Non hic de efficaci permotione, & morali persuasione, sed
de violentia externa sermo est. β. Princeps certa ratione subditos ad me-
dia, ut frequentent templum, non vero ad ipsam Religionem compelle-
re potest. γ. Nonnulli hæretici sunt ejecti ab Imperatoribus, ut Arius, non
vero occisi, δ. Matth. XVIII. 15. 17. agitur de fratre peccante, non hære-
tico, per excommunicationem autem separabantur ab Ecclesia, non occi-
debantur, alias omnes peccantes in fratrem morte affici deberent. ε. dist.
inter actum compellendi politicum, & Ecclesiasticum, hic, non ille in-
telligitur Luc. XIV. 23. nam vocantur servi a Deo emissi, quod & ipsa
docet parabola de cæna, ad quam non externa vi compelluntur homines,
sed multa persuasione invitantur. Sic Petrus ἀνάγκασε compulit Gen-
tes Judaizare, non docentis imperio, sed conversationis exemplo Gal. II.
14. ζ. Rom. XIII. 4. Vindex Dei magistratus est non in hæreticos, sed in
malitiosos & seditiosos, η. Elias milites II. Reg. I. & Petrus Ananiam

Act. V. non gladio, sed verbo occidebant, nec ab extraordinariis
exemplis ad ordinaria valet consequentia.

CÆTERA DEUS PROSPICIET.

Film nicht möglich!

SLUB DRESDEN



3 2316030

Coll. diss. B.42

